



1. H  
2. H  
3. H  
4. H  
5. H  
6. H  
7. H  
8. H  
9. H  
10. H  
11. H  
12. H  
13. H  
14. H  
15. H  
16. H



D I S S E R T A T I O   I N A U G U R A L I S  
M E D I C O - O B S T E T R I C A L I S      13  
D E  
A T O N I A   U T E R I  
P O S T P A R T U M  
E J U S Q U E  
S E Q U E L A   H Ä M O R R H A G I A

Q U A M  
S U B   A U S P I C I I S   D I V I N I S  
E X   A U C T O R I T A T E  
G R A T I O S I S S I M Æ   F A C U L T A T I S   M E D I C Æ  
I N   A L M A   A R G E N T O R A T E N S I U M   U N I V E R S I T A T E  
P R O   L I C E N T I A  
S U M M O S   I N   M E D I C I N A   H O N O R E S  
E T   P R I V I L E G I A   D O C T O R A L I A  
R I T E   A T Q U E   L E G I T I M E   C A P E S S E N D I  
S O L E N N I   E R U D I T O R U M   D I S Q U I S I T I O N I   S U B J I C T  
M A R C U S   H U G U E N X N  
E X   C O M I T A T U   N E O C O M E N S I   L O C L E N S I S  
D I E   X X V I I .   N O V E M B R I S   M D C C L X X .  
H .   L .   Q .   C .

Argentorati ex Officina Universitatis Heitziana.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES  
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY - COLUMBIA  
DEPARTMENT OF LIBRARIES

COMMUNIS  
LOCLENSIS MAGISTRATUS  
PRAEFFECTIBUS

VIRIS

AMPLISSIMIS PRUDENTISSIMIS  
EXPERIENTISSIMIS  
AD CINERES USQUE COLENDIS  
SPECIMEN HOC ACADEMICUM  
SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.





## PROEMIUM.

**F**œminam gestando, enitendo, nutritiendoque novo homini destinatam, perpetuis, proh dolor! incommodis, morbis, periculis & ante partum, & in eo, & post eum esse obnoxiam, tristis ac quotidiana observatio docet, ut & hoc respectu vere dixeris, uterum sexcentorum malorum fontem esse. Quid igitur humanitate, quid Medico dignius, quam ut innumerabiles hos affectus, eorum causas, veramque curationis viam rite cognoscatur? Lubet, B. L. cum ex Universitatis hujus inclytæ legibus conscribendum mihi incumbat Spe-

A

cimen, ex ea nobilissimæ Artis parte, quæ hujus generis morbos tractat, *obstetricia* scilicet, in quam aliqua mihi prædilectio est, depromere Dissertationis argumentum, dirumque exponere valetudinis genus, quod magnam, eheu! dignissimarum matrum vim, quæ feliciter alias foetum enixa sunt, de improviso sæpe e medio tollit, sicque dulcissima conjugia solvit. *Atoniam* dico uteri sanguinisque profluvium inde oriundum. Licet enim hinc inde indicasse hunc morbum videantur Autores, licet Cel. DUSSE<sup>a</sup>), quantum perquirere potui, inter Gallos primus aliquid de nostro morbo monuerit; atque Cel. LEVRET<sup>b</sup>) ex suis quoque observatis, quæ docte proposuit, istum cognoverit; visum tamen est, de ista materie cogitanti, supereffe hucusque, quæ Celebris Viri monitis possint adjici; hæc igitur, quæ ulterius explananda in hoc Capite atque perficienda sunt, ea hoc Specimine præstare mihi sumsi, non

a) *Histoire de l' Acad. R. des Sc.* Ann. 1724. p. 35. Epistola ejus Epitomen prius evulgatam habet *Journ. des Sçavans* Ann. 1722. p. 494.

b) *Art des Accouchemens* P. III. Ch. III. Art. II. S. I. p. 155. Atque propria dissertationcula, libro, qui *Suite des Observations sur les Causes & les Accidens des Accouchemens laborieux* inscribitur, inserta. Article X. p. 261. sqq.

quidem ea fretus fiducia, ut exhaudire omnia mihi  
contingat, at illud tamen obtenturum me esse con-  
fido, ut, quæ propositurus sum, non plane alotria  
censeat Lector. "Multum egerunt," ita eleganter  
SENECA, "qui ante nos fuerunt, multum etiam ad-  
huc restat operis, multumque restabit; nec ulli  
nato post mille secula præcludetur occasio aliquid  
"adjiciendi." Itaque scopum meum attigisse mihi  
videbor, si eis, quibus doctior calamus est, qui ex-  
perientia præpollent, quosque elegantius dicendi  
genus ornat, occasionem suppeditaverim, sua ad-  
jiciendi, intertexendi, siveque communi utilitati in-  
serviendi. Ita, dum occultum hucusque hostem  
nunc in aperto possumus conspicimus, eo facilius ejus  
inuidias prævertere dabitur; *Medicus enim si sufficerit  
ad cognoscendum, sufficiet quoque ad curandum morbum.*



### §. I.

**I**n amplissima fœminarum pelvi inter anteriorem  
urinæ cystidem, posteriusque rectum, situs est  
uterus, nobile organon, de cuius natura atque  
substantia tantæ jam inter Autores motæ sunt lites.  
Dum igitur gravissimi morbi, qui istam partem

A 2

corripere solet, historiam pando, liceat per te B. L.  
ea ex Anatome atque Physiologes doctrina repe-  
re, quæ ex diligentí istius visceris examine desum-  
pta ad ejus atoniæ pleniorē notitiam omnino per-  
tinere videntur. Quid enim certi in Pathologicis,  
quod ex animata Anatome, quæ omni Medicinæ  
facem præfert, evidentiæ suæ originem non habeat?  
"Ut enim curvi norma rectum, ita morbi sanitas,"  
pronunciante Ill. GAUBIO e); nec morbum certe or-  
ganicæ partis rite cognoveris, nisi ejus naturam ha-  
beas perspectam. Plenariam vero omniq[ue] nume-  
ro absolutam uteri descriptionem in Anatomicorum  
potius libris, quam in nostro opusculo quærendam  
esse, monuisse in limine juvat.

## §. II.

Postulat autem materiæ ratio, ut de musculosa  
primo uteri fabrica, quam in controverso esse apud  
Autores notum est, sumus solliciti. Veterum qui-  
dem sententiam si allegare hic licet, quorum tamen  
minor est in Anatome autoritas, videtur eos in  
universum ex analogia brutorum, quibus evidenter

---

e) In aureis suis *Institut. Pathol.* §. 17.

carnosa matrix est *d*), atque ex notissima illa uteri humani quoque post partum ad pristinam fere mollem contractione, hominis quoque uterum pro vero habuisse musculo, similemque eum cordi, ventriculo, aliisque hujus generis credidisse *e*). Eam quidem sententiam deseruerunt novissimi Prosectores, ut fibras musculares admitterent quidem pluri-mi spongiosae uteri reliquæ substantiæ intermixtas *f*), musculi autem nomen utero omnino denegarent *g*); quin quoque his non multum tribuerent alii *b*); ast

## A 3

- 
- d*) Docente III. de HALLER *Element. Phys.* Tom. VII. Lib. XXVIII. Sect. II. §. IX. p. 56.
- e*) Vid. GALENUS in Tract. *de Utilitat. Part.* L. IX. C. XIV. Si-mias fere dissecuerat secundns hic Medicinæ Stator.
- f*) Autorum, qui has uteri fibras descriptas dederunt, longum recen-set catalogum III. de HALLER. Lib. & loc. cit. §. XI. p. 61. seqq. Celebris potissimum fuit à Cel. RUVSCHIO descriptus musculus or-bicularis, cuius fibræ fere concentricaæ sunt. Vid. Ejus *Advers. Anatom.* Decas III. Tab. III. quas & HUMMELIUS celebris olim hic Anatomiae Prosector postridie à partu vidi, docente III. HAL-LERO I. c. non tamen receptum fuit ab omnibus inventum; hujus enim musculi veram existentiam inter alios negavit
- g*) Cel. HEISTERUS in *Compend. Anat.* n. 31. & in *Diss.* quam sub Ejus præf. defendit MOEBIUS.
- b*) Tenuis est existimatio, quam præter alios de uteri musculo ejus-que vi contractili habet Cl. OOSTERDYCKSCHACHT *Instit. Med. præct.* Sect. II. Lib. X. C. IV. §. III,

sedula tamen gravidi uteri contemplatio, in quo ex-  
tricata magis tota uteri substantia est, evidenter de-  
monstrat fibras longas, pallidas, quas ex analogia  
musculofas credere æquum esse videtur, illisque  
similes, quæ urinæ cisternam circumdant. Vide-  
runt eas atque descripserunt nobilissimi hujus seculi  
Anatomici Artisque obstetriciæ Doctores, quorum  
autem varias delineationes exscribere hic atque inter-  
se conferre incongruum fore duco *i).* Mihi qui-  
dem, ut Cel. ROEDERER *k)* distingui posse visum  
est inter cervicis corporisque uteri fibras, illasque,  
quæ ejus fundum occupant. Istæ quidem plurimis  
constant stratis partim transversis, partim longis,  
partim inter se mixtis; & ita quoque de fundi fibris  
comparatum esse folet. Utriusque vero generis  
fibræ & anteriorem vesicæ obversam uteri faciem  
ornant, & posteriorem quoque, quæ laxa cellulosa  
cum recto committitur. Sic fere decurrunt muscu-  
lofa uteri strata inter reliquam substantiam Ill. quo-  
que HALLERO *l)* visa, eorumque beneficio ad vali-  
dam contractionem idoneus est uterus. An autem

*i)* Vid. not. f.

*k)* In *Icon. Uteri humani.* p. 7 & 8.

*l)* In *Elem. Phys.* l. c. p. 64 & 65.

antagonistarum in modum agunt cervicis corporisque fibræ, ut sphincteris officium subeant priores? Non inelegans est Cel. LEVRET <sup>m)</sup>, cuius magna autoritas est, suspicio, cum hæc agendi ratio fere omnibus muscularis cavis sit, urinariæ scilicet vesicæ, intestino recto aliisque, atque ita facilis conceptus sit partus causa, quæ tunc eveniet, ubi superaverit orificii resistentiam uteri corpus. At regerit Ill. HALLERUS <sup>n)</sup> in tanta harum fibrarum intricata miscela vix diversam eis actionem tribuere fas est; experimenta quoque desunt, quæ eam suspicionem ad veritatis gradum erigere queant. Meam quidem non faciam hancce litem, cum caligine crassa circumfusa sit; at fateor, placet mihi hucusque LEVRETI sententia, quamvis ei omnimoda evidentia desit.

### §. III.

Contractilis vero uterus est, non solum muscularium harum fibrarum virtute; eas enim revera tales esse forte negaveris, sed & quam maxime vi

<sup>m)</sup> In *Mem. de l'Acad. R. de Chir.* T. III. p. 221. not. c. eam & suspicionem fuisse Cl. VINKII ex Ill. HALLERI citatione perspicio. *Elem. Phys.* I. c. p. 65.

<sup>n)</sup> Eodem I. c. p. 66.

quadam insita, quam cum reliquis corporis vivi partibus communem habet, majori tamen gradu ei insidentem. Inest enim quibuscumque nostris solidis triplex virtus, quarum primam elasticam rite vocaveris, post obitum superstitem; secunda vis vitalis est, proprio ubique sese turgore prodens, in plurimis vero organis contractione ad stimulum manifesta suam declarans existentiam; hæc Ill. HALLERI o) irritabilitas est. Inest tertio vis nervea singulari nec describendo connubio istis conjuncta. Earum virium concursus singula nostra organa suis functionibus aptat. His igitur quoque summo gradu pollet uterus, cui quidem nemo elasticam vim denegaverit, qui ad tantam molem extendi se patitur, atque sublata vi iterum reddit. Quis vitalem ei vim, sive irritabilitatem abnuere audeat? quam experimentis stabilivit Ill. HALLERUS p), quis vim contrahendi? cum evidentissimam eam demonstret natura, dum posito post partum tempore, quod extrahendæ placentæ statuit Cel. LEVRET q), ad pri-

o) Quam muscularis tribuit potissimum in Tractatu de *Irritabilitate*, alibiique passim.

p) *Elem. Phys.* Tom. VII. l. c. X. p. 59. seqq.

q) In *Mem. de l' Acad. de Chir.* T. III. p. 222.

stinam

tinam fere molem coit, abhinc sensim sensimque virgineæ magnitudini propior. Ea quoque virtute redit cutis non musculosa, quam per graviditatis tempus compesci nescia matrix mirum in globum extendit, post partum, naturalem statum, dum fasciis modo sublevaveris, repetituram. Nervis tandem pollet uterus non exiguis, ex renali, itemque ex mesocolico plexu, atque ex ischiadico truncu oriundis, quorum miram divisionem nitide pinxit RE-GNERUS DE GRAAF<sup>r</sup>); idque præterea docet sensus acerrimus uteri, ubi vulneratur, ubi carcinomate laborat; sœpiuscule solus infantis eo clausi motus doloris sensum excitat. Erit igitur hæc eorum, quæ diximus, summa, eximiam utero inesse contrahendi vim ex musculosa sua natura, atque innata ei summo gradu virtute vitali & elastica.

#### §. IV.

Ad statuendam vero morbi nostri notitiam porro pertinere videtur, ut de placentæ cum utero nexu, ejusque in partu extractione, quædam adspergamus verba. Obscurissima quidem hominis prim-

---

<sup>r</sup>) Optimus hujusque partium utriusque sexus genitalium descriptor de *Mul. Org.* Tab. VII.

ordia sunt, ut de illis, nisi per conjecturas, dici vix queat. Attamen ubi ab eis, quæ præterlapsis paucis mensibus evidenter sunt, ad ista ascendimus, probabile fit, ovuli masculino spermate fœcundati superficiem eadem ratione floccosam esse <sup>s)</sup>, qua uteri interna superficies, eosque floccos vasa esse innumera, quæ sibi invicem inosculentur, quotidiano incremento augeantur, atque ita continuo humores diametro respondentes transmittant. Hæc origo placentæ est, fundo plerumque uteri annexæ <sup>t)</sup>, spongiosæ, vasculosissimæ, e cuius fere medio (etsi ille fitus sæpe variet,) ab interna superficie, funiculus exit umbilicalis, arteriis binis, una constans vena, cuius structuram, atque cum infantis corpore commercium fuisse descripserunt Anatomici. Eum vero finem in extruendo hoc vasorum apparatus fuisse naturæ, ut transmittant ex matre in fœtum, exque hoc iterum ad matrem deferant verum,

<sup>s)</sup> Vid. III. de HALLER I. c. §. XLVI. p. 130. atque Tom. VIII. I. XXIX. S. III. §. II. p. 182.

<sup>t)</sup> Quandoque & per vitium hunc locum pro alio mutat; cervici inascens hæmorrhagias in gravidis ciere solet, ut eomuni Autorum sententia constat, vid. de HALLER *Elem. Phys.* Tom. VIII. I. c. p. 227.

rubrum hujus sanguinem, quo nutriatur iste, atque augmenta sua capiat, sententia fuit omnium ab HIPPOCRATE *a)* veterum, interque nostri saeculi maximos Medicos fuit recepta, ex quibus Ill BOER-HAAVUM *x),* MORGAGNI *y),* ALBINUM *z),* MERY *a)* HALLERUM *b)* in scenam produxisse satis est, ut, quod possit maximum ei pondus addatur; & demonstrant certe hujus theses veritatem plurima phœnomena. Catamenia quippe primo saepius graviditatis mense jam deficientia; tristissimi casus lethali sanguinis profusionum in gravidis a lapsu, vel avulsa ab utero placenta oriundæ; Ill. ALBINI *c)* experimentum, quo pro lubitu sanguinem ex serpentinis uteri arteriis in placentam impelli vidit; Cel. NOORTWYCK *d)* atque HUNTERI *e)* felicissimæ

B 2

- 
- a)* De Natura Pueri. Edit. VAN DER LINDEN Tom. I.
  - x)* Institut. Medic. §. 678.
  - y)* Adversar. Anatomi. IV. p. 82.
  - z)* Annotat. Academ. Lib. I. p. 35. Virum immortalem letho nuper erectum luget Medicorum omnis Respublica.
  - a)* Mem. de l' Acad. R. des Sciences Ann. 1720.
  - b)* Elem. Phys. T. VIII. I. c. XXXIII. & seqq.
  - c)* Qui sanguinem ex utero in placentam adegit. I. c.
  - d)* In Uteri humani grav. Anat. & Historia. p. 9. & seqq.
  - e)* Vid. Ill. HALLERI Elem. Phys. T. VIII. in Addendis p. 220.

injectiones; ipse denique vasorum in umbilicali funiculo & placentæ apparatus nulli futurus alias usui, firmam eam præstant sententiam, quam indicavimus. Neque, me judice, aliquid contra possunt negativa experimenta, quæ a Cel. ROEDERER *f*), Cl. GIBBON *g*) aliisque afferuntur, quibus constat quidem defuisse fortunam dexterimis alias Anatomicis, dum injectiones his in partibus pararent, haud vero evertitur, quod feliciorum Prosectorum industria constat, cum maxima sit vis affirmantis experimenti contra negativa quæcunque. An aliquid quoque lactis ea via ad fœtum defertur? Qui id docuerunt, chylum vidisse cum sanguine circum- euntem, ergo ad fœtum quoque delapsum, videntur.

## §. V.

Excluditur tandem post nonimestrem in ergastulo moram fœtus, atquæ simul disjungitur ab uteri fundo, vel alia ejusdem parte nexa ei hucusque placenta, idque eo demum momento fit, quo contractionem suam orditur uterus, ut ad minorem

---

*f*) Vas non uniri placentam uterumque Cel. hujus viri sententia est.  
vid. Lib. c. itidemque ita sentit

*g*) Cl. GIBBON in *Diff. de Nutrit. fœtus.* Lugd. Batav. 1761.

redeat molem; prius ab obstetricia manu solvi nefas est. Sanguis tunc ex utero magno impetu fertur, novo veræ uteri cum placenta anaftomoseos argumento. Arteriarum scilicet uteri, quas quidem paucis hic memorabimus, multiplex origo est ex spermaticis primo, & hypogastricis, quæ binæ arteriarum profundiæ eleganti connubio coëunt, nitida iterum REGNERI DE GRAAF b) iconè expresso; eis accedunt & aliæ minores ex pudendis, hæmorhoidalibusque; venarum rami suo ortu atque decursu respondent arteriis; duplex hoc vasorum genus in utero dispeicitur, aliaque specie offerunt se eorum divisiones in vacuo utero, alia in gravo. In virgineo scilicet serpentine arteriarum rami incidunt vix conspicui, inque interna visceris superficie in flocculos istos definunt, purgationem sine dubio menstruam fundentes. Pariter venæ minus quam arteriæ serpentinum ductum sequuntur, atque in vacuum tandem uterum hiant. At in graviditate utrumque vasorum genus enormiter increscit, elongatur, atque ita uteri substantiam replet, ut crastitie magis videatur augeri, quam minui i). Hoc

## B 3

---

b) De *Mul. Org.* Tab. XII.

i) Vid III. HALLERI *Elem. Phys.* T. VII. Lib. XXVII. Sect. II. §. IX. p. 57.

in statu venarum rami *Sinus* ab Autoribus cognomi-  
nati sunt *k*). Primo igitur ratiocinio concipitur,  
sanguinis, qui ex euentem placentam sequitur, flu-  
xus, cum soluto inter utramque partem nexu, am-  
plissima nunc anastomosi hient uteri vasa, cruem  
ad matris usque mortem emissura, ni contracto  
viscere comprimerentur eorum ostia, sua quoque  
virtute aliquantum coëuntia, ut moderatior fiat sub  
*Lochiorum* nomine sanguinis exitus.

## §. VI.

Sic manu quasi ducimur ad exponendam morbi  
nostris naturam prone nunc intelligendam. Scilicet,  
ubi per causas deinde dicendas muscularium uteri  
fibrarum virtus irritabilis sufflaminatur, ubi vim  
passa est elasticitas, ubi fatiscit vitale robur, debili-  
tatur nervorum tenor, horumque connubium rum-  
pitur, nequit certe uterus post editam prolem ea se-  
vi contrahere, quam diximus, atque comprimere  
vasorum ostia; participant præterea eo omnimodæ  
debilitatis vitio ipsa vasa, cumque nunc horrenda  
anastomosi hient, libere dimittunt cruem ad ly-  
pothymias mortemque usque matris, quæ brevi

---

*E*) Vid. IDEM *ibid.* §. XLVII. p. 132.

tunc temporis spatio convulsionibus obnoxia diem supremum obit. Hunc igitur miserrimum uteri statum atque ad agendum torporem *Inertiam*, aptiori vero secundum ill. GAUBIUM vocabulo *Atoniam*<sup>1)</sup> rite vocaveris, cuius summus gradus plenaria *Paralysis* inevitabilisque sequela *Hemorrhagia* est.

## §. VII.

Neque effugit certe Veterum recentiorumque in observando diligentiam morbi nostri notitia, cuius quippe mentionem hinc inde factam esse videbunt, qui Autores relegere velint. De nostro scilicet affectu intelligendus sane videtur HIPPOCRATES, Medicinæ Parens, ubi hæc verba habet *m)*: "Si mulier ex partu purgata fuerit, . . . plura quam oportet (contingit enim hoc, si uteri amplioris osculi fuerint, & venæ quedam ruptæ sint . . . præ violencia egressus ipsius foetus:) febris & rigor habebit "ipsam" &c. alioque loco *n)*: "Si levis est ac debilis uterus, . . . & vires laxantur . . . quod quæ-

*1)* Vid. EJUS *Institut. Pathol.* §. 752.

*m)* *De Morb. mul.* L. I. C. LXVII. Edit. VAN DER LINDEN. T. II.  
P. 45.

*n)* *De Morb. mul.* Lib. II. C. LII.

„dam etiam ex partu patiuntur . . .“. Morbum vero nostrum ARETÆO <sup>o)</sup> quoque ex fatali sua sequela innotuisse, non inepte suspicari mihi videor ex his ejus verbis: “In sanguinis (ex vulva) pro-fusione maturius mors ingruit, quemadmodum „cum quis animal jugulat”. Eamdem porro nostram uteri atoniam vult Cel. DE LE BOE SYLVIUS <sup>p),</sup> ubi copiosum lochiorum fluxum commemorat ex laxitate vasorum uteri *naturali* vel *advenitiae*; quibus quidem Scriptoribus SENNERTUM <sup>q)</sup> aliasque adjungeremus, nisi horum testimonii satis esset, ut apertum fiat, quid de morbo nostro senserint Antecessores nostri. Ubi autem a remotioribus temporibus ad nostram proprius ætatem transimus, nunc demum videtur *uteri post partum Atonia* ex numerosis observationibus denuo animadversa, ejusque diræ valetudinis medela a maximis in Arte Viris perfecta. Inter hos merito referimus Cel. DUSSE<sup>r),</sup> Virum olim in obstetricia Chirurgia dexterissimum, qui in datis ad Cl. ANDRY literis de morbo

<sup>o)</sup> *De Causis & Signis Acut. Morb.* Lib. II. Cap. XI. in fine.

<sup>p)</sup> *Prax. Med.* Lib. III. C. VIII. §. 45. 46. in Opp. omn. p. 556.

<sup>q)</sup> *De Morb. puerp.* vid. ejus Opp. omn.

<sup>r)</sup> Vid. not. a. ad præfat. p. 2.

nostro,

nostro, ejusque natura atque curatione, brevi quidem sermone, at satis tamen apposite præcipit. Et memorabiles sane sunt Cel. MAURICEAU <sup>s)</sup>, Viri itidem in hac Medicinæ parte olim celebris, de uteri atonia observationes, ex quibus unam saltem summatim hic proponere e re mea esse videtur:  
 "Fœmina succulenti habitus primipara foetum enstitur, postquam per biduum lentis ad partum doloribus fuerat vexata; secundæ facile insequuntur infantem. En autem obortum sanguinis fluxum,  
 "qui puerperam lipothymiis, anxietate atque convulsionibus obnoxiam subito tollit. Suadente Autore inciditur cadaver, atque conspicitur uteri fundus ad interiora depresso, ut lagenæ fundus esse solet; ex quo phoenomeno scite Autor colligit, nec tempus nec vires superfluisse utero, ut sese rite contraheret"; & huc quoque referendæ Cel. LA MOTTE <sup>t)</sup> similes observationes. Meruit vero post claros hos Autores de curatione morbi nostri quam maxime Cel. LEVRET <sup>u)</sup>, quem hucusque superstitem

<sup>s)</sup> *Traité des Accouchemens* T. II. Pertinet huc Observ. 199, atque ea, quam citamus 230ma.

<sup>t)</sup> *Traité d' Accouchemens*. Observationes 207. 397. atque 599.

<sup>u)</sup> Vid. not. b. ad præfat. p. 2.

gaudet obstetricia Ars, qui proprius in istius causas ejusque præcavendi methodum inquisivit, suaque egregia inventa in Dissertatione sua docte proposuit. Horum vero Autorum porro legerunt vestigia Cel. SMELLIE *x*), Cl. HEINIGKE *y*), Cl KALT-SCHMIED *z*), Cl. GEHLER *a*), Cl. DELEURYE *b*), Cl. FRIEDIUS *c*), mihi in obstetricia Arte usque collendus Præceptor, avitæ in ea celebritatis legitimus hæres; atque tandem Scriptorum, qui practicam Artis partem hucusque docere suscepserunt, facile princeps Ill. VAN SWIETEN *d*), in quorum omnium scriptis gravia atque egregia de nostra uteri atonia monita reperies consignata.

### §. VIII.

Sic igitur apertum fecisse mihi videor, quæ sit

- x) Traité de la Théorie & de la Pratique des Accouchemens p. 424.  
atque Suite de ce Traité Tom. III. p. 505.*
- y) Dissert. de Utero secundinas expellente.*
- z) Dissert. de Hæmorrhagia uteri post partum nimia Jen. def.*
- a) Dissert. de Sanguine in partu profluente. Lipf. def.*
- b) Traité des Accouchemens p. 332. §. 999.*
- c) Anfangsgründe der Geburthshilfe L. IV. Cap. VII pag. 175.*
- d) Comment. in Aphor. BOERH. T. IV. p. 491. Aphor. 1304. §. I.*

mori nostri natura, exque iisdem, quæ proposui, patet ejus ætiologia. Postulat porro materiæ ratio, ut & istius divisiones, sive a se ipso differentias statuamus, in quibus ordinandis præscriptum ab III. GAUBIO e) ordinem servandum mihi esse merito duxi. Atque ab origine quidem optime distinxisse videtur SYLVIUS f) vasorum uteri laxitatem in *naturalem* atque *adventitiam*, eaque divisio ita ad uteri ipsius atoniam rite potest transferri. Nec certe porro quid repugnat, quin *epidemicum* g) aliquando morbum nostrum esse suspicemur, cum experientia constet, fatalem quandoque incidere puerperis tempestatem, ut fere omnes eadem in regione corripiat idem morbus, ab immitti fine dubio atmosphæræ in corpora actione oriundus. A sede porro nostram uteri atoniam in *totalem* atque *particulararem* dispescere fas est, cum non raro pars modo uteri ita sit affecta, dum reliqua secundum naturam est. A cursu vero si aliqua in morbo nostro differentia

## C 2

e) *Institut. Pathol.* §. 842. & seqq.

f) *L. c. not.* p. § 7. p. 16.

g) Suspicionem confirmant Cl. HEURNII verba, in *Comment.* ad *Aphor.* HIPPOCRAT. Lib. V. Aph. LVI. ubi cœli statum aliquid huc conferre affirmat.

ponenda est, in *acutissimam* forsan atque *peracutissimam* eam distinxeris, cum intra quartam horæ partem perierit Cel. MAURICEAU b) puerpera, alia ad plures vitam protrahant dies, præsertim quas intermittens sanguinis effluxus vexare solet. Sed & a *gradu* diversa esse potest uteri atonia; in torpore quippe partium sive ad agendum inertia rite aliquos cogitaveris gradus, quorum summus plenaria *paralysis*, infimus vero naturali vitæ robori proximus sit; itaque si & *indolem* species, *majorem* *minoremve* morbum rite distinxeris, præcipue sicubi vel totalis vel particularis fuerit. Atque tandem *ab eventu* periculosisssimum nostrum morbum vere tunc dixeris, ubi ex plenaria uteri atonia, ita profluit latex, qui vitam alit, ut cito pereat inilera, negetque morbi dira conditio concedere tempus ut feraatur medela. Minus periculum ex propositis facile judicatur.

### §. IX.

Causarum, quæ morbos producunt, præcipua divisio est in proximam remotasque. Illam, quæ exposita jam est (§. VI.) missam nunc facimus; remotarum vero plures esse possunt, quarum vi con-

---

b) Vid. §. VII. p. 17.

currente demum producitur uteri atonia. Ex his aliae disponentes sunt, aliae occasio[n]ales, eaque itidem vel internæ, vel externæ. Cum scilicet ad debitum uteri robur & elasticitas, & vis vitalis fibris muscularibus maxime insita, & nervorum integer tenor, harumque virium connubium (§. III.) requiratur, omnes certe nocentes potentia[re], quæ istas vires infringere, earumve nexus dirimere solent, nostri morbi causæ dicentur remotæ, quas quidem, cum immensus earum numerus sit, atque insuper virtutis præcipue vitalis natura hucusque ignoretur, vitiatae igitur quoque ratio reddi nequeat, recensere vix dabitur omnes. Itaque ad atoniam uteri suam symbolam conferunt solidorum universalis laxitas atque torpor, cum sanguinis reliquorumque humorum aquosa mucosave dyscrasia fere nunquam non junctus; uteri vitia particularia, hydrops scilicet ab HIPPOCRATE *i)* jani animadversa, ejusque generis alia; crebra prægnatio itidemque abortus *k)*, decemestris five diuturnior (si vere datur) graviditas *l)*, qua ultra quam fas est extenditur uterus;

## C 3

---

*i) De Morb. malier.* Lib. I. C. LXXXV & LXXXVI.

*k) Vid. III. GAUBII Institut. Pathol.* §. 825.

*l) Vid. de hac materia Cl. HEBENSTREIT Anthropolog. forens[is]*

fœtus grandior <sup>m)</sup>), cuius idem effectus est, licet suo nascatur tempore; gemelli fœtus eorumque violentiores forsan in utero motus; moles aquarum, graviores ante partum hæmorrhagiæ <sup>n)</sup>, quibus mederi scite docuit Cel. Puzos; diuturnior uteri in fœtum actio in ipso partu, quo referenda Cel. MAURICEAU observatio, quam supra exposuimus, atque alia Cl. DE MURALT <sup>o)</sup>; violenta atque præpostera secundarum extractio, præcipue, ubi istam ante præviam funiculi umbilicalis ligaturam celebrat manus obstetricia; ea enim vis infertur uteri fibris va- fisque, ut contractionem suam celebrare nequeant <sup>p)</sup>; animi tandem hoc faciunt pathemata, quibus mīrum est in corpus imperium, terror scilicet, mœ-

Sect. II. Cap. I. §. 12. [p. m. 191. seqq. decimastrem fœtum, eumque monstrosum habet *Journ. de Med.* T. XIV. p. 547 seqq.

<sup>m)</sup> Hanc Atoniæ uteri causam videtur & perspexisse LOMMIUS *Obser. Med.* Lib. II.

<sup>n)</sup> Vid. *Mem. de l'Acad. de Chir.* T. I. p. 364.

<sup>o)</sup> In *Epb. N. C.* Dec. II. *Obser.* 93. Sistit hæc observatio foemina in parturiendo ita pertinacem, ut conatus ad partum, doloribus vexata noluerit edere. Ad id tamen tandem adacta filiana enititur, quo factò drepente includitur utero placenta; hanc integrum extraxit Autor, neque minus ita affluxit crux ut vitam fecum raperet. Evidens hic est uteri à diuturniore in fœtum actione Atonia.

<sup>p)</sup> Vid. Cel. LEVRET in *Dissert.* cit. *Suite des Obser. &c.* p. 274.

stitia, ira vehemens q). Particularis vero atoniæ, rudior uteri attactus, situs obliquus infantis in utero, secundarumve relicta portio causæ esse solent, in quam diutius agit aliqua visceris pars. Hæc, idque genus similia eam in uterum vim habent, qua efficiantur conditions (§. VI.) dictæ, istamque ei flacciditatem conciliant, quam in cadavere vidit Cel. MAURICEAU r).

## §. X.

Atoniæ uteri sequelam immedicablem esse sanguinis nimium fluxum (§. VI.) indicatum est. Nec certe nimium ubique dixeris, si quando multum sanguinis effluere videoas: rite enim jam SYLVIUS s) monuit, non esse certam mensuram crux post partum ex utero effundendi; quin esse inter pueras, quibus conducat fluere parum, esse deinde, quibus effluere multum profit: itaque ex pulsus debilitate, sensuum hebetudine, virium prostratione, anxietate reliquisque diris symptomatibus deinde dicendis de num judicandum est, pessimam nunc istam valetudinem adesse. Ex atonia vero potissi-

q) Vid. Cel. FRIEDIUS *Lib. cit.* p. 175. §. 468.

r) Vid. *Obser. cit.* §. VII.

s) *Lib. &c loc. cit.* p. m. 555.

mum uteri , nec alia quacumque causa fluere nunc sanguinem & anamnestica & præsentia signa abunde declarant. Inter ista quidem rite referre mihi videor, quas (§. IX.) memoravi causas remotas, quibus producendi morbi nostri potentia est , quæ itaque, ubi præcesserunt uteri post partum hæmorrhagiam apertam simul faciunt proximam ejus causam. Ex atonia porro potius uteri, quam ex retentis secundarum frustulis, originem trahere hæmorrhagiam, integre extracta placenta atque ipsa ventris moles probabunt abunde. Nostrum tandem morbum declarant dira, quæ cito superveniunt symptomata, ni celeri medela succurratur ægrotæ: lyphothymia scilicet frequentes, quas comitantur sive excipiunt sensuum hebetudo , caligines, aurium fusurus aliaque analoga, quæ omnem sanguinis nimiam evacuationem necessaria lege sequuntur ; orthopnœa deinde, quam pulmonum ob sanguinis transmittendi penuriam collapsui rite tribueris, cui anxietas perpetua naturæ lege juncta est; singultus denique atque convulsiones , quas ex inanitione consequi sæpius adnotavit quoque HIPPOCRATES <sup>t)</sup>; eas ex inæquali sanguinis per cerebri vascula, adeo-

---

<sup>t)</sup> Aphor. Lib. V. Aph. III.

que

que & turbato nervei fluidi circulo eruunt, qui mechanicam sectam sequuntur; ast cum non satis constet de isto humorum mutato fluxu, cum non satis demonstrata sit hujus liquoris existentia, arridet fateor potius Cel. SAUVAGES u) sententia, ubi *convulsiones ab inanitione ultimis naturae conaminibus trahuit, quibus aliquantulum protrahitur vita, illico secus elapsura; aliquid hic quoque potest uteri nunc affecti cum nobilioribus corporis partibus vitalis atque nervosa sympathia.* Pulsum tandem hac sub calamitate esse debilem parvumque, non est quod moneamus Medicos, quibus Artis ptima principia modo non sint ignota.

## §. XI.

Oportet vero præterea, ut morbum prævideat, præsentisque majus vel minus periculum dijudicet

---

u) *Nosol. Method.* T. II. Cl. IV. p. 43. & seqq. Celebrem in arte virum STAHLIANÆ doctrinæ favisse, novi quidem; ast utut rationalem non admiserim animam, III. tamen GAUBIO duce Naturam in corpore vivo non possum non agnoscere, functionum in fano corpore symptomatumque plurium in morbis gubernatricem. Mechanicæ leges enim exulent hic necesse est. Peccavit STAHLIUS, dum incongruum naturæ imposuit nomen, reapse peccant Mechanici, dum naturam excludunt.

D

Medicus, quæ utraque scientia ex eis facile hauri-  
tur, quæ hucusque exposuimus. Minatur scilicet  
uteri post partum atoniā cacoehymicus gravidæ  
habitus, prægrande abdomen, hæmorrhagiæ antea  
passæ, partus difficilior, propensa fœminæ mens  
in violentiores animi motus, idque genus similia,  
quæ supra (§. IX.) enumerata repetere nefas est.  
Ipsum morbum, ubi jam obtinet inter periculosissi-  
mos jure numerari, neminem fore credo, qui ne-  
get. Est tamen ubi restituendæ ægræ major super-  
est spes, præcipue sicubi adventitia potius uteri fi-  
brarum laxitas est, cum præ naturali faciliorem me-  
delam recipiat; minus porro discrimen alit particu-  
laris visceris nostri atonia; majus universalis, quæ  
celeri hæmorrhagia exhaustit ægrotam. Nec repu-  
gnat quid, quin certiore dicamus supereſſe ſpem,  
ubi ſimplex atque infimus torporis modo gradus ad-  
eſt; plenariam vero paralysin immedicablem exi-  
ſtimemus. Quantum porro ægrotæ magis supereſſe  
virium, quantum magis roboris vitalis ſuperftititis  
ex pulſu animadvertisſit, eo minus quoque diſcri-  
men; eo majus vero, ſicubi morbis prægressis,  
nuncque cum dira calamitate junctis debilitata eſt  
naturæ avtocrateia. In præcipiti tandem reſ eſt,

idque ex HIPPOCRATIS effato <sup>a)</sup> tristisque experientia constat, ubi frequentiores diuturnioresque nunc sunt hypothymiae; ubi orthopnæa terret; ubi nervorum distensiones ægram distorquent; hæc enim nuncia lethi mox plane exsanguem atque exanimem declarant fore ægrotam. Verum enimvero & tristes sequelas comites habet morbus noster, ut ut ex orci faucibus eripiatur puerpera Remanet scilicet virium diuturna prostratio, anæmia, idque genus similia <sup>b)</sup>, quæ lentam possunt inferre mortem. Superveniunt & uterinæ colicæ, monente Cel. LEVRET <sup>c)</sup>.

## §. XII.

Acutissimo morbo ferre medelam, arduum & difficile est; atque certe in hujus affectus curatione vere cum HIPPOCRATE <sup>a)</sup> dixeris, *occasionem momentosam esse, atque judicium difficile.* Ut autem &

D 2

<sup>a)</sup> Aphor. Lib. V. Aph. LVI.

<sup>b)</sup> Vid. Cel. FRIED. Lib. cit. p. 175. §. 469. refert enim huc cephalgias, febres, & extremitatum tumores, quorum omnium origo ex sanguinis penuria patet.

<sup>c)</sup> Diff. &c Lib. cit. Art. XI. p. 278.

<sup>a)</sup> Aphor. L. I. Aph. I.

hoc malum, quantum in Arte est, aptis debellemus  
remediis, triplicem indicationem statuamus oportet,  
quarum scilicet prima est, ut præcavemus di-  
rum valetudinis genus; deinde vero, ubi obtinet,  
tollamus; tandemque sublati sequelis medeamur.  
Primam vero ut adimpleamus, omni data opera se-  
cundum Cel. LEVRET *b)* cavendum est, ne accele-  
rato partu, debili per se utero reliquæ, quas adhuc  
fovet, vires adimantur. Ubi igitur dolores ad par-  
tum ingruunt, decumbat lecto, quamdiu possit, ne-  
cessè est, ne cito augeantur. Expedit vero, ut ma-  
ture rumpantur foetus membranæ, quamprimum  
fatis dilatatum sit uteri orificium, ut admittatur di-  
gitus; sic enim paulatim effluentes aquæ utero con-  
cedunt potestatem sensim sensimque coëundi, an-  
tequam rumpatur placenta cum utero commercijum,  
atque si naturam torpere videoas, cardiaco eam rite  
adhibito stimulabis, ut eo alacrior surgat ad cele-  
brandum suum opus. Ad præcavendum porro in-  
fortunium, de quo loquimur, aurea certe regula  
est Cel. LEVRET *c)*, quam & suo calculo probavit  
Ill. VAN SWIETEN *d)*, ut differatur eo usque pla-

*b)* Diff. & Lib. cit. Art. X. p. 285.

*c)* Eod. l. atque Mem. de Acad. de Chir. T. III. p. 216. & seqq.

*d)* Comment. in Arbor. BOERR. l. c.

centæ extractio, donec novam uteris contractionem  
ordiatur, qua orificii sui resistentiam superet; præ-  
postere enim extracta patula relinquit ea vasorum  
uteri ostia, quibus cohæserat, utero ipsi ejusque vi  
contractili vim infert, quin quoque fieri certe potest,  
ut dilacerentur & vasorum & uteri fibræ. Facit autem  
huc præterea simplex Cel. DUSSE<sup>e</sup>) encheire-  
sis, cui magnam fateor pono fiduciam. Fricetur  
scilicet hypogaltrica regio leni manu huc illuc, sur-  
sum atque deorsum ducta, ut vires suas recuperet  
uterus, nec non fasciis adstringatur paulatim ven-  
ter; harum enim beneficio tonum deperditum con-  
ciliari partibus debilitatis monuit & Cel. PLATNER f).  
Poffunt vero & obesse sanguinis in utero grumi,  
quos diligenter ex eo auferri necesse est, ne obi-  
cem ejus contractioni ponere queant g). An vero  
denique ineptum effet martialium, quibus roboran-  
di sine calore vis est, prævio usu, felicem partum  
parare ægrotæ, dum utero sic conciliatur debitum  
robur, quo functionem suam obire possit? Non  
video certe, quid repugnet, postulatque rei digni-

D 3

e) Loc. cit. not. a. ad præfat.

f) Institut. Chir. ration. §. 18. edit. Germ.

g) Ut præcipit Cel. LEVRET h e,

tas, ut nihil non relinquamus tentatum, quo de sexus sequioris salute mereri queamus.

### §. XIII.

Valentissima vero potentissimaque remedia sibi deposita morbus, ubi reapse adest. Desudet hic Medicus necesse est, ut integro, dum res in tanto discrimine versatur, judicio, optima quæque proponat, dummodo per morbi acutiem liceat, qui vana sæpiissime reddit prudentia tentamina. Ubi igitur, quæ supra præscripsimus vel neglecta, vel frustra tentata fuerint, ea sunt adhibenda, quæ impetum sanguinis minuant, temperantia nitrosa, leniter analeptica, quibus solis, secundum Cel. LUDWIG b), ponenda est fiducia; ejusdemque Viri monitum est, quandoque ipso animi defectu fisti vitalis laticis fluxum. Sanguinis in remoto loco missonem, ut in omni hæmorrhagia i), ita & hic suadent Scriptores, quibus maxima in Arte autoritas est k); at optime regerit Cel. SMELLIE l), utile

b) *Institut. Med. Clin.* §. 1018.

i) Docente Cel. PLATNER *Instit. Chir. ration.* §. 417.

k) Inter alios Cel. TISSOT *Avis au peuple* §. 369. & 365. non intellegendus tamen est de fortiori sanguinis profusione.

l) *Lib. &c loc. supra cit.*

quidem fore remedium, ubi roboris satis superest  
in arteriarum pulsū, sed ubi nunc vires prostratæ  
sunt, certe aptius ab eo abstinetur ceu dubio atque  
ancipi. Nec certe major existimatio nobis est de  
artuum ligaturis, quibus sanguinis, quantum pos-  
sit, retineatur, ne omnis cum vita effluat <sup>m)</sup>). Non  
enim bruta homo machina est, in qua impune san-  
guinem ligatura fistere possis; ea enim in ligatis  
membris summi dolores cidentur, impetus sanguinis  
opposita cordi resistentia augetur potius quam mi-  
nuitur, nec minus cito ingruunt omnia ea sympto-  
mata, de quibus (§. X.) prolixè dictum est. Da-  
mnant porro quoque Practicorum optimi interna  
calefacentia <sup>n)</sup>, quorum vis ea est, ut sanguinis  
cursum incitent, ita ut celerius effluat. Commen-  
dandus certe potiori jure frigidorum usus, quem  
laudant summi in arte Viri; decumbere scilicet pu-  
erperam jubet Cel. TISSOT <sup>o)</sup> supra lectum ex stra-  
mine, haud vero ex pennis paratum; frigidæ aquæ  
haustum præcipit Cel. FRIEDIUS <sup>p)</sup>; manus immer-

<sup>m)</sup> Referente Cel. SMELLIE, eod. loc. aliisque Scriptoribus.

<sup>n)</sup> Vid. Cel. LEVRET, l. c. p. 276.

<sup>o)</sup> Loc. cit.

<sup>p)</sup> Beatum intelligo patrem in Mff. suis,

gendas esse aceto, seu aquæ frigidæ, ex eisque epithemata abdomini imponenda vult Cel. LEVRET q); quin si hæc nihil proficiant, in balneum deimittere frigidum jubet pueroram. Horum scilicet agendi vis ea est, ut glaciali frigore excitata torpens natura, vasa claudat subito, cruem retineat, atque matrici tempus concedatur contrahendi se sensim sensimque. Hæc dum aguntur, oportet simul, ut frigidiuscula sit atmosphæra ægrotæ, atque ab omni animi pathemate caveat. Conducere tandem adstringentia possunt legitime exhibita. Hæc quidem interne parum proficiunt, cum lentius agant nisi frigidis jungantur, at externe tamen efficacia esse confueverunt. Huc Decocta ex quercus foliis & cortice, exque his epithemata balneave; suffitus ex ejusdem arboris incrementis; Saccharum Saturni, Alumen cum Nitro aqua soluta, quibus madefacta linteamina pubis regioni imponantur. Suadent & telarum aranearum manipulum cum aceto in ferreo vase decoctum, duplique linteamini interpositum; Vaginam ellychniis (*bourdonnets*) replendam jubet

---

q) Loc. cit. p. 274. & 276. hac methodo ipse feliciter usus est Cel. Autor. Talia præter hæc, exempla habent E. N. C. Tom. I. p. 325. quæ Auctorem habet Cel. TRALLES, atque Journ. de Med. Tom. XV. p. 151. Cel.

Cel. SMELLIE <sup>r)</sup> , quæ adstrictoriis liq̄oribus sint imbuta ; atque tandem injectiones ex vino in uterum commendat Cel. DELEURYE <sup>s)</sup> ; extremis quippe casibus extrema sunt adhibenda , quibus si moderatior fiat sanguinis fluxus , illico abstinentur , folisque temperantibus perficienda res erit.

#### §. XIV.

Ubi itaque hac methodo orci faucibus erupta fuit puerpera , novus debellandus erit , non quidem ita dirus at infidiosus tamen morbus , anæmia scilicet cum virium prostratione conjuncta . Anæmiæ nimirum , docente Ill. GAUBIO <sup>t)</sup> , ea conditio est , ut sine humorum acrimonia stare diu vix possit . Eo itaque summo nunc studio allaborandum , ut sanguinis justa mensura , simulque ægrotæ vires restituantur , in quo tamen opere , ut rite monet Cel. PLATNER <sup>u)</sup> caute versandum , ne obruatur potius quam reficiatur natura . Alimentorum quidem eu-peptorum summa hic est necessitas , sed multitudine caveas , quin oneres corpus , ne in imbecillibus vi-

#### E

<sup>r)</sup> Loc. cit.

<sup>s)</sup> *Traité des Accouchemens* p. 332. §. 999.

<sup>t)</sup> *Institut. Patbol.* §. 393.

<sup>u)</sup> *Institut. Chir. ration.* §. 418.

sceribus cruditates fiant nocivæ. Juscūlā conducunt pul-  
lorum cohortalium juniorumque animalium, eaque leviter decocta, atque crebro exhibita. Profund & ova &  
lac, egregium debilibus alimentum, asinīnum præ reli-  
quis, cui cum humano lacte proxima intercedit analogia,  
docente Ill. SPIELMANNO <sup>x</sup>), venerando meo atque summe colendo Præceptore. Modicum quoque concedi potest generosioris vini; abstinendum vero ab animi quibus-  
cunque pathematisbus, nec nimium indulget somno æ-  
grotæ <sup>y</sup>); cuius tamen hic aliqua necessitas est. Atque por-  
rigi tandem quoque possunt debilibus his Martialis Peru-  
vianusque cortex <sup>z</sup>), quibus roborentur solida, eoque  
ipso ad restauranda fluida evadant aptiora. Sic pergitur  
fensim sensimque prudenter, donec in plenum restitutæ  
sint vires, uterisque in pristinam suam molem contra-  
ctus. Suas vero eum ordiri functiones colicæ indicant ute-  
rinæ, quarum igitur procul abest, ut nociva sit vis, quin  
potius eas exoptat Medicus obstetricius, easque provo-  
candi fine sanguinis grumos diligenter removendos docet  
Cel. LEVRET <sup>a</sup>). Atque sic, dum hæc præcepta sequimur,  
ardua quidem sed recta via ad Artis scopum itur;  
sic hominum saluti prospicitur, cui promovendæ si quid  
utile hoc Specimine præstiterim, mea forte contentus to-  
tam meam fiduciam in æquorum Existimatorum benigno  
judicio positam habeo.

<sup>x</sup>) In *Dissert. de optimo inf. rec. nat. alim.* Argent. 1753. §. 17. 19.

<sup>y</sup>) Vid. Cel. PLATNER, loc. cit.

<sup>z</sup>) Divinum medicamentum cui nimiae laudes tribui vix possunt, his  
quoque in casibus commendatur à Cel. FRIEDIO, loc. cit. p. 176.  
§. 470.

<sup>a</sup>) *Loc. supra cit.* p. 207.



riens.  
or-  
elio-  
tiam  
nimo  
lera-  
sto-  
397.  
pter  
a au-  
ven-  
iculo  
opia,  
ngu-  
te'os.  
icitur  
eatui,  
e bal-  
cor-  
enire  
tæ



Straßburg, med. Diss. (17. Horsche  
Huth (?)

ULB Halle  
005 361 729

3



WOM  
VD18



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Inches

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

ERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - OBSTETRICALIS  
DE  
ONIA UTERI  
OST PARTUM  
EJUSQUE  
ELA HÆMORRHAGIA  
QUAM  
SUB AUSPICIIS DIVINIS  
EX AUCTORITATE  
SISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
RÆGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
RO LICENTIA  
IN MEDICINA HONORES  
IVILEGIA DOCTORALIA  
E ATQUE LEGITIME CAPESSENDI  
ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBJICIT  
C U S M U G U E N X N  
X COMITATO NEOCOMENSI LOCLENSIS  
XVII. NOVEMBRIS MDCCCLXX.  
H. L. Q. C.